DE TYPHO ABDOMINALI.

DISSERTATIO
INAVGVRALIS MEDICA
QUAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN
ALMA LITERARVM VNIVERSITATE
FRIDERICA GVILELMA
VT SVMMI
IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTVR
DIE VII. M. AVGVSTII A. MDCCCXL
H. L. Q. S.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
MARCUS RING
ZAVDITIENSIS.

OPPONENTIBVS:

A. BRVCK, DR. MED. ET CHIR.
M. JOACHIMSTAHL, MED. ET CHIR. CAND.
G. MEYER, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
H. OPPENHEIM, JVRIS VTRIVSQVE DR.

BEROLINI,
TYPIS NEVDORFFIANIS ET SOC.

FRATRI AMATISSIMO

A. RING

NEC NON

VIRO HVMANISSEMO

MIHI AMACISSIMO

DOCTORI MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

ALFRED AB BAEHR

LIBELLVM CONSECRAVIT HOC

D. D. D.

AUCTOR.

Inter morbos aegrotum non minus quam medicum vexantes typhum abdominalem et propter gravitatem et propter controversias, quae inter doctos adhuc agitantur mihi elegi cujus indolem et decursum, observationibus nonnullis innixus, describam.

Morbus noster, velut. Proteus senex ille marinus Odysseo, auctoribus variis varius apparuit et omnibus, unum tantum vel alterum symptoma observantibus, pro ipsa re nomina dedit inania. Itaque habemus februm nervosam stupidam Frankii, febrem nervosam putridam gastro enteritiden Gallorum, inflammationem cerebri (Marcus), pro symptomate uno magis minusve praevalente, quamquain neque hoc, neque illud nomen veram morbi nostri naturam exprimit, atque certis circumscribit finibns.

Nostra autem voluntas, lector benevole, exigit, ut morbum universum sub omnibus conditionibus illustremus atque de natura et indole ea tantum exponamus, quae e sectionibus et disquisitionibus physiologicis redundant.

Anatomia.

In tunica mucosa intestinorum, praecipue in parte inferiori intestini tenuis, duos vel tres pedes supra valvulam Bauhini, tertio vel quarto ab initio morbi die mutationes inveniuntur fere semper constantes. Exhibet autem focum formationum novarum tunica cellulosa subjecta, in qua vasa sanguifera ita confluunt, ut tunica mucosa sub forma semiglobosa emineat et villi intestinorum, qui colore sulphureo vel aureo tinguntur et sanguinis aliquid edunt praeter naturam elongentur. Sanguinis guttula exsiccatur et tegumentum format, sub quo ulceratio amplius progreditur usque ad diem septimam, quo crusta jam formata eminentiae pisiformi, materia rubra facilis implendae, ita in medio sidet, ut excavatio et circa hanc vallum altum appareat. Crusta autem illa satis firma, grisea, vel lutea, quae microscopio disquisita multitudinem globulorum aequalium, tertia vel dimidia parte majorum, quam puris globuli, ostendit, decimo primo vel secundo die plerumque a peripheria centrum versus ita solvitur, ut excavatio, vel potius ulcus tunicae mucosae resideat, cujus fundum tunica muscularis, margines autem tunica mucosa exhibet. Sanatur ulcus hoc sinuosum, fundo fungoso, marginibus laceratis, sinuosis, excavatis et natantibus, appropinquatione marginum, qui vallum annularem, magis magisque contractum formant et denique sine ulla fundi granulatione confluunt.

Pro natura morbi exanthematica quatuor dixtinguenda sunt stadia, stadium cruptionis, efflorescentiae, ulcerationis, cicatrisationis, aeque ac in aliis morbis hujus generis.

Morbi decursus.

Post frigus magis vel minus intensum et calorem sub-

sequentem tentantur aegroti animi tristitia et perversitate, dolet caput et corripitur vertigine, pedes labant, obnubilantur sensus, fatigatos somnus fugit, aut imaginibus et somniis terrificis turbatur, neque raro deliria adsunt.

Facies tristis et abdominalis, lingua muco obtecta. sapor amarus et vappidus, ructus, nonnunqaum vomitus, obstructio alvi, et a tertio plerumque morbi die dolor regionis ilio-coecae, pressione excitatus, jam nunc tunicam mucosam intertinalem sedem et focum morbi nostri esse probant. Serius demum excreta illa emittuntur foetida, aquosa, quae vase excepta in duo separantur strata, unum superius soridum, aquosum grico-luteum, quod nihil aliud nisi mucum continet intestinalem, et alterum inferius, quod e sedimento constat fibroso, flocculento, in quo natant lamellae luteae, quae sub vitreis microscopiis crystallos ostendunt et plures et quintuplo vel decuplo majores, quam quae plerumqun etiam in faecibus sanorum hominum inveniuntur crystalli calcariae phosphoricae.

Febris remittens nonnunquam sthenica aut synochica est, cum lingua obtecta, pulsu, qui 80 — 90 ictus intra horae minutum offert, pleno et duro, dolore regionis ileocoeae vehementi, imo spontaneo. Forma feris solita erethistica est, ubi pulsus mollis, attamen fortis (90 — 100) reperitur cutis humida, calor urens et mordax. Urina fluit, jam nunc saturate rubra, fere fasca, clarior in febri synoica; obscurior in febre erithistica.

Rarissime febris jam primo in stadio torpida apparet, et pulsum ostendit 100 — 120 ictuum, parvum et debilem, facilem compressu, cutem ealidam et aridam, linguam siccam et coet.

Septimo primae periodi die nonnulla symptomata criseos imaginem simulant atque exspectationem observatoris parum versati omnino eludunt. Fit enim cutis humida,

turbantur urinae, congestiones caput versus finiri videntur haemorrhagiis benignis, sed omnia vana et fallacia sunt stadiumque secundum seu nervosum intrat eo vehementius, quo minus exspectatum.

Augentur enim in periodo secunda, sive stadio nervoso, deliria illa murmurantia, rarius furibunda, Jacent aegroti supini, nullius fere motus voluntarii eompotes (situs passivus) soporosi, murmurantes, interrogati respondent celeriter et incerta voce, quasi amisso linguae imperio, se bene valere (signum pathognomicum). Serius accedit subsultus tendinum, et carphologia, paralysis musculi sphincteris vesicae urinariae et anio, susurrus aurium, scintillati oculorum.

Lingua aegroti exacerbationis tempore arescit, primum in dorso, postea etiam in marginibus et apice, obducitur aequo ac nares materiis fuliginosis, fuscis; vel atris, sanguis enim decompositus vasa penetravit et guttula illa, sicuti in villis intestinalibus, exsiccatur in apice papillarum, colorem induens fuscum. Intumescit abdomen et excreta edit illa aquosa frequentius, plerumque invito aegroto, augetur dolor regionis ilio-cocae et affectio ulcerosa adscendit ad organa pectoris, inflammationem ciet, et propter debilitatam vim naturae et propter progressus occultos inter gravissimas pneumoniae formas numerandam In mortuis hac affectione thorarica prostratis invenimus tunicam bronchiorum mucosam a bifurcatione usque in telam pulmonum colore fusco, vel violaceo tinctam et magis minusve emollitam et friabilem.

Hoc modo progreditur morbus usque ad diem decimum quartum, ubi vel crisis exoptata evenit, vel aegritudo aucto impetu in tertiam irruit periodnm, atque ad diem vicesimum primum vitam aegroti servari sinit et die indice, aut critico, mortem vel salutem ei aufert.

Nunc autem, antiquam de aetiologia, causis et cura nonnulla proferam, varietates nonnullos et complicationes describere liceat, quae secundum quosdam scriptores pro morbis natura et indole toto coelo distant, quamqnam, dummodo animum attendas, lector benevole, profecte opinionem camprobabis, auctores illos symptomatis unius vi et principatu in erorem ductos umbram pro re ipsa, partem pro toto descripsisse.

Sunt autem hac varietates:

I) Typhns cerebralis, cujus symptomata fere omnia cum illis typhi abdomilalis consentiunt, eo discrimine ut initio caput magis affectum sit. Intrant deliria vehementissima, furibunda, caput rubrum fervet, pulsus micat impetuosus, celer, plenus, durus, ita ut facile affectio haec cum encephalitide confundatur; sed diagnosis illustratur dolore regionis ileo coecae et caeteris affectionibus tunicae mucosae intestinalis. Caput autem irritatur in hoc morbo, sicuti in scarlatina, variolis et aliis morbis exanthematicis, qui cum excitatione cerebri, spasmis et convulsionibus accedunt, quae omnia saepissime post exanthematis eruptionem evanescunt.

II) Febris nervosa putrida nihil est aliud, nisi varietas typhi abdominalis, dissolutione et coruptela sanguinis insignis. Obducitur totum corpus maculis et ecohymosibus violaceis, vel atris quae digiti pressione haudquaquam evanescunt, quod signum jam sufficit ad diagnosin hujus morbi typho petechiali, cujus maculae pressione disparent, a centro peripheriam versus, restituuntur, et die quarto tempore vespertino et exacerbationis in modum exanthematum prorumpunt, ita ut figura aequalis sit et omnium similis. Praetera animadvertitur dissolutio illa sanguinis in omnibus corporis excretis, praecipue in urina, quae fusca et, fere atra fluit, peculiarem spargens odorem,

ammonii similem, cujus praesentiam, sicuti in omnibus corporibus putrescentibus et dissolutis, experimentum chemicum acido muriatico institutum facile indicat. Faeces teterrime foetentes plerumque sanguine grumoso et dissoluto commixtae sunt, qui ex omnibus ostiis prorumpit, praecipae autem e naribus et ano abunde profluit.

Diagnosia.

Quamqaum typhus morbus tam peculiaris est, ut, qui nonnullos ejusmodi aegrotos viderit, difficulter eum confundat, tamen propter similitudinem cum aliis morbis haec tibi afferam.

1) A febre gastrica typhus abdominalis distinguitur jam primo in stadio, per gravitatem omnium symptomatum systematis nervosi. Primo morbi introitu invenimus linguam haudquaquam ita obtectam, uti in febre gastrica, sed potius rubram et tumidam. Deficit dolor et tumor in regione sinistra, ubi est ventriculus, contra dolor oritur pressione in regione dextra ileo-coeca.

2) In phthisi intestinali adsunt profluvia illo pure tincta et febris hectica peculiaris.

3) Permutationis autem typhi cerebralis cum encephalitide, et varietatis putridae cum morbo maculoso ne tironi quidem nostrae divinae artis in mentem venient.

De aetiologia.

Typhus abdominalis est morbus contagiosus, quamquam genesis sporadica negari nequit. Contagium ejus praecipue in nosocomiis oritur et observatores non fugit,

in iis praecipue locis, ubi gangraena nosocomialis semel emersit, etiam typhum, velut satellitem, et comitem ejus, aegrotos adgredi et sub iisdem conditionibus, quibus gangraena nosocomialis originem ducat, typhum efflorere, scilicet in locis, ubi multi accumulantur aegroti, vulneribus suppurantibus, vel profluviis saniosis et cruentis laborantes, uti dysenteria.

Quae quidem conditiones tempore bellico confluunt et conjunctae cum anxietate et animi tristitia (quae causae fere solae typhum in corpore sano excitare possint), cum penuria siti et tempestatibus eo facilius stragem illam producant. Itaque iuvenimus, bello ultimo memorabili typhum praecipue et fere semper in exercitu illo regnasse qui cladem ultimam et maximam passus in fuga fere omnibus ad vitam necessariis caruit, sicuti apud Franco-Gallos post cladem Moscaviensem. Sed etiam ex causis mere endemicis morbus originem ducit et iisdem apparet sub conditionibus; quibus febris intermittens, in regionibus paludosis, ubi profluvia magna, praecipue maris, obveniunt sicuti apud Belgos, ubi febrem intermittentem typhus abdominalis et vice versa subsequi solet.

Hic etiam notanda est vis illa noxia aquae Parisiensis Seine quae apud omnes peregrinos et incolas provinciarum, durioris aquae potu assuefactos, perniciosa efficit profluvia, quae facile in typhum transmutantur et saepius morte finiuntur.

Genius etiam morborum, qui nostris temporibus imperium obtinet, quam plurimum ad augmentum hujus morbi terribilis confert. Evanuit enim fere omnino genius morborum inflammatorius ejusque in locum successit genius gastrico-nervosus, ita ut omnes fere morbi colore abdominali et bilioso tincti appareant. Praecipue autem medicamenta, quae incitant intestina et ventriculum, non semper beni-

gnum sed saepissime adversum exserunt effectum et non semel, sed saepius vidimus, porrectis salibus neutris statum gastricum simplicem in typhum transisse vehementissimum.

Crisis.

Jam supra memoratum est, morbum certis stadiis circumscribi, cyclum septem dierum percurrere, et diebus illis criticis vel ad mortem, vel ad sanationem perduci. Crisis autem intrat praecipue septimo aut nono die, quo plerumque morte finitur, vel decimo tertio et vicesimo primo, rarissime decimo octavo die. Distinguendum autem est inter crises universales et topicas. Ad primas numerare debemus sudorem in toto corpore prorumpentem, non viscidum et tenacem, sed vaporosum, qui peculiarem haudquaquam valde foetentem odorem spargit. Urina illa jumentosa, atra, ammoniacalis sedimentum praebet album, mucosum et uricum redit. Sub hisce conditionibus frequentia pulsus diminuitur, atque in locum exilis sanguinis undae succedit pulsus plenus et magnus. Inter crisis topicas benignas apparet somnus altus et placidus, loco excretorum tenuium et aquae similium faeces molles quidem eduntur, sed sufficiente pigmento bilis tinctae, nonnunquam obstruitur alvus. Sed non omnia criseos symptomatam benigna sunt, nam etiam hoc in stadio aegroto insidiae imminent et mors per ipsam naturam medicatricem ei paratur. Afficiuntur enim tempore criseos et cutis et glandulae, parotides praecipue, inflammatione quadam, quae facillime in pus, imo in gangraenam abire solet.

Satis notae sunt tales affectiones cutis in regione sacra sub nominae decubitus, quamquam non omnis decubitus criticam habet vim, sed tantum qui apparet diebus

criticis et una cum aliis similibus glandulorum inflammationibus, apicis nasi, abscessibus, in digitis extremitatum inferionum et cet. Longe autem differt decubitus et situ diuturno in dorso et calcaneo, et squalore materiae faecalis et urinae peroductus. Ejusdem naturae pestiferae, sed longe perniciosius est pseudocrysipelas illud criticum. Sub doloribus vehementissimis intumescit antibrachium a ligamentis carpi usque ad olecranon et duplo majus assequitur volumen cutis tensa est et pallida, colore fere roseo, sed mox collabitur tumor ille insignis et aegrotus sub deliriis et sopore gravissimo animam exspirat.

Mors variis oritur modis rarissime in primo stadio die critica, ubi morbus summum atrocitatis fastigium assecutus est, cerebri oppletione, aut paralysi quadam organorum thoracis vel abdominis. Quo in casu facies decomposita est, venter et intestina meteorismo inflantur et tumescunt, sedes frequentissimae ct involuntariae demittuntur, sudores prorumpunt extremitatum frigidi, corpore calente; pulsus exiles, vermiculares, fere evanescunt. Neque minus in stadis sequentibus, imo crisi perfecta, mors intrare potest et propter inanationem totius corporis et propter morbos mere locales quidem, sed haud minus graves et atroees. Parotidum intumescentia facile in gangraenam et cerebri inflammationem transit, pseudocrysipelas supra memoratum fere semper lethalem sortitur eventum. Ulcera intestinorum etiam fracta morbi vi perdurare solent, satis idonea, quae forum praebeant et phthisi intestinali, et affectioni illi haud dissimili gangraenae nosocomiali; praeterea facile perforantur intestina et expansione aëris inclusi et medici incauta pressione et tactu. Quae omnia nomine febris recidivae comprehendentur quamquam typhus ipse fere nunquam cursu semel absoluto

revertitur, sed longe alius morbus, saepissime febris hectica, aut gastrica, ex residuis fatalibus originem ducit.

Inter morbos typhum saepissime subsequentes blennorrhoeam quoque et phthisin pulmonalem numerare debemus, quamquam etiam hydrops, sicuti in scarlatina et intermittente, non raro nascitur. In reconvalescentia impetus in Venerem major ob debilitatem systematis nervosi facile tabem dorsalem inducere potest.

Prognosis.

Quod ad universum morbum haud fausta praedicenda est. Chomel inter tres aegrotos unum mori, satis lucide explanavit, quamquam morbus nonnunquam lenius incedere solet. Reddunt autem prognosin meliorem simplex morbi cursus sine complicatione cum affectionibus pulmonum, praecipue sub finem primi stadii, aut cum hepatis vel cerebri irritatione, porro remissio benigna horis matutinis, ante omnia medici prudens et circumspecta curatio. Cutis autem in corpore urens in extremitatibus frigida, nonnullis tantum in locis sudore tenace et viscido obtecta, urina jumentosa, atra et ammoniacalem spargens odorem, pulsus debilis, cujus ictus numerum 120 excedere solent, prognosin semper indicant malam. Eadem infausta habenda est, si aegrotus, faciem gerens collapsam et conscientiae defectum, urinam illam et sedes peculiares pluries quam sex per cyuthaemeram mittit.

Sed fere nullum signum, ne omnium quidem concursus, satis certam constituit prognosin, id quod ex historia morbi subsequente satis elucet.

Curatio.

Quod ad curam attinet, pro variis aris et castris, quae

uuus et alter medicorum sequitur, varias et maxime diversas habemus medendi rationes. Dum enim audaces et sanguinolenti Franco-Galli nihil aliud nisi inflammationem vident et venaesectionibus et sanguisugis morbum cum vita impugnant et vincunt, Germani timidiores astheniam, debilatem et depressionem virium docent et magno apparatu medicamentorum irritantium, roborantium vitam adeo rebellem reddunt, ut in sempiternum aufugiat. Natura autem hos et illos eludit, plerumque aegroti tantum, qui nullo utebantur medico, sanabantur, contra medici non raro infaustam aegritudinem augebant, quod ex omnibus fere morborum epidemicorum historia satis elucet.

Sin autem alieni ab omnibus systematibus naturae sequimur vestigia, facile intelligimus, et febrem ot affectiones topicas esse sanandas, vires aegroti servandas, atque naturam crises petentem eo ducendam. Ante omnia haec cogitare debemus, morbum semel exortum prohiberi non posse, sed amplius progredi atque decursum suum absolvere. Febris ab initio morbi haudquaquam dissimilis est omni febri exanthematicae, modo lenior incedit, modo inflammatoriam praebet indolem, modo torpidam, ita ut pro natura febris varia adhibenda sit medendi ratio, immo venaesectio quibusdam sub conditionibus aegroto salutem ferre queat.

Initio autem morbi emeticum, sicuti in omnibus fere morbis exanthematicis; fausto cum eventu saepissime porrigitur et formationem et impetum exanthematis coercere videtur. Adhiberi autem debet radix Ipecacuanhae, rarius cum tartaro emetico conjuncta, propter irritationem intestinorum atque profluvia vehementia.

Primo autem in stadio aqua oxymuriatica laudanda, quae et dissolutionem sanguinis porhibere et topicam ulcerationem sanare potest. Sin ulcera semel formata sunt

et indoles febris magis magisque ad hecticam aut suppuratoriam vergit, divinus cortex etiam in hoc morbo virtutem suam eximiam probat, vel potius superat.

Hoc in stadio etiam superfusiones frigidae et calidae prosunt et quidem illae cute arida et urente, sicuti in scarlatina aut morbillis; hae praecipue ubi illae propter pectoris affectiones arceri debent et tempore criscos, ubi cutem aperiant et totam humidam reddunt. Etiam lotiones negligendae non sunt, praecipue contra sanguinis dissolutionem lotiones ex aqua frigida cum eventu adhibentur. Praeterea usque ad crisin vires roborandae sunt cortice chinae qui sub forma emulsionis, et quandoque sero lactis conjunctus porigi potest.

Ad crisin augendam, aut sustentandam vino stibiato ammonio acetico, nonnunquam aura camphorata utimur; sed si crisis semel intraret, omnia removenda sunt, quae eam turbare vel nimiam reddere possint. Praecipue sudores profusi, qui miliaria facillime provocant, leviori tegumento et temperatura modica coerceri debent. Nutritio autem efficitur sero lactis cum china, in stadio convalescentiae jusculis carneis cum vitello ovi unius, nec non clysmatibus nutrientibus, cum digestio debilitata et fere exhausta sit.

Quod ad affectiones topicas attinet, obstructiones alvi in primo stadio clysmate aperiente haudquaquam salibus mediis impugnari debet, cum autem sedes illae aquosae apparent, et pluries per diem mittuntur, clysmata ex amilo cum plumbo acetico et opio alvi fluxum vehementem cohibent alumen etiam, tam per anum, quam interne formo seri lactis aluminati adhibitum, profluvia impedit. Plumbum aceticum autem more Franco-Gallorum interne adhibitum magis damno, quam saluti est aegroto, propter vimintestina debilitantem, quae morbo ipso fere resoluta sunt.

Convalescentia impetrata, tueri debemus aegrotum ab omnibus injuriis, praecipue a coena nimia et cibis dyspeptis. Obstructiones autem per celeriorem ulcerum sanationem orientes haudquaquam drasticis, ne rheo quidem, neque salibus mediis, sed solis clysmatibus emollientibus et aperitivis promte solvendae sunt, quodcunque enim ulcera incitat, facile phthisin illam producit, quae sub nomine morbi recidivi aegrotum prosternit. Hoc etiam in stadio maxime aegrotum observare debemus propter instauratam Veneris libidinem, cui quovis pacto satisfacere studet quamquam maximo corporis debilitati damno.

Jam ad curam complicationum et typhum sequentium morborum nos accingimus.

Complicatio illa cum vehementi capitis affectione, typhus cerebralis, frigus, aquam nivalem et glaciem, ante omnia hirudines et nonnunquam venaesectionem, imovenae jugularis incisionem expetit.

Complicatio cum dissolutione sanguinis, febris sic dicta putrida, acida fortiora, ut acidum phosphoricum, muriaticum, sulphuricum requirit, ea quidem cum providentia, ut tempore criseos seponantur, ne cutem claudant et sudorem prohibeant benignum. Inflammatio pectoris hirudinibus, rarius venaesectione et irritamentis cutaneis externis coercetur, interne remedia contra typhum adhibentur, ut aquaoxymuriatica, majori mucilaginis quantitate involvenda.

Praecipue autem animum advertere debemus ad morbos typhum sequentes, ad parotitidem, decubitum, furunculum gangraenosum, pseudoerysipelas et intestinorum perforationem.

Parotitis, quae non temere metuitur a medicis propter gangraenosam indolem et inflammationen cerebri subsequentem, facillime initio expugnatur hirudinibus audacter applicatis et inunctionibus mercurialibus. Decubitus faci-

lius prohiberi, quam sanari potest. Ante omnia cubile faecibus et urina involuntarie secedentibus expurgandum. stratum linteum semper ita expandedum ut plicae non formentur crassiores, maxime autem stragulum pelle cervina obtectum commendandum est. Cutis si rubecit, vel violaceum induit colorem, lavari debet aceto, aut spiritu serpylli.

Cum autem semel intravit decubitus, situs ad alterutrum latus, lotiones et fomenta ex aqua vegeto-minerali. unguentum cerussae, fomentationes aromaticae, addita china, requiruntur. Pseudocrysipelas fere semper lethiferum neque fomentationibus aromaticis, neque incisionibus longitudinalibus coerceri potest. Furunculi gangraenosi more tractantur solito. Summae autem gravitatis et fere semper lethifera perforatio intestinorum est, cui tamtum primis temporibus occurrere licet situ quieto et leviori pressione abdominis inter disquisitionem. Majores laudani doses, usque ad narcosin per Anglicos medicos adhibitae, aglutinationem intestinorum quidem efficerunt nonnunquam, sed haudquaquam prohibuerunt mortem.

Nunc historiam morbi proferre atque nonnulla de morbi natura et indo'e, quae inde sequantur, addere dicent.

Historia morbi.

I. S. Sutor annorum triginta duorum, ante receptionem in nosocomiam capitis obnubilatione et alvi obstructione laborabat, quam sale amaro tollere studuit, sed hujus remedii usus omnia pejora reddidit symptomata, sequebantur enim profluvia longa et aquosa, deliria cet.

Septimo mensis Junii die algorem vehementem se sensisse aegrotns contendit, ita ut ab hoc die morbi initium numerare dabeamus.

Die 18. m. Junii invenimus gressum aegroti incertum et vacillantem, extremitatesjam paulo tremebant. Lingua incipiebat arescere, cutis sicca erat et calida (calor

mordax,) multis maculis et ecchymosibus obtecta, pulsus intra horae minutum parcus et debilis 108 ictus obtulit, urina et sedes nondum secesserant..

Therapia. Aqua chlorata, mucilagine involuta, et si intrent profluvia aquosa, clysmata ex amylo cum plumbo acetico et opio imperata sunt. Tempore vespertino, si calor augeatur, lotiones ex aqua frigida cum aceto vini. Pro potu acida mineralia et vegetabilia.

Die 19. m. J. Duodecimo aegritudinis die, quo aegrotus in medio versatur secundo, seu nervoso stadio. Morbus progeditur, maxima anxietas, deliria perpetua, somnus fere nullus, conatus lectum deserendi, conscientia amissa. Interrogatus de statu suo aegrotus semper respondet se bene valere: Lingua arida et sica, abdomen tumidum, diarrhoea nulla. Cutis arida et sicca obtegitur sudoribus partialibus humidis, urina fusca, nauseosum edens odorem' dissolutionem sanguinis majorem nuntiat.

Therap. Aquae oxymuriaticae additur infusum Chinae Superfusiones frigidae in balneo calido, glacies ad caput adhiberi necesse est.

Die 20. m. J. Noctem aegrotus inquietus stupidus, tacite murmurans transegit. Lingua arida, ne in marginibus quidem valde humida. Abdomen pressione molle sed doloris expers certe propter abolitam sensibilitatem. Cutis arida maculae et eschymoses magis magisque auctae, praecipue in abdomine. Pulsus mollis 110 ictus habet, in exacerbatione 120, subsultus tendinum, urina dulcem spargit et valde nauseosum odorem. Therap. Pro potu serum lactis aluminatum.

Die 22. m. J. Erat hodiernus dies septimus decimu aegritudinis, primus periodi tertiae; apparebant nonnulla critica molimina, sed sine eventu. Nox inquieta, aegrotus delirat fere sine ulla remissione, status somnolentus, motus

involuntarii musculorum, qui carphologiam indicant; aegrotus in lectulo delabitur ad pedes.

Abdomen molle, in regione ileo-coeca pressione sonus ille peculiaris murmurans, sedes involuntariae et aquosae, pulsus 100 ictus, in exacerbatione 120 fecit, tussis haud rara, sed auscultatio et percussio nullum addunt signum objectivum. Post molimina critica vana collapsus intrabat major, ita ut vires aogroti usque ad alterum diem criticum, vicesimum primum morbi, sustentari non viderentur, quam ob rem prognosis mala habubatur.

Therap. Clysmatibus singulis aluminis scrupulus unus addebatur.

Die 23. m. J. Exacerbatio fuit vehementissima (pulsus 120), aegrotus delirat, situs supinus prostratus (situs enim lateralis melioris ominis est), carphologia.
Abdomen molle et dolens pressione, sedes una involuntaria, lingua marginibus quidem humida, sed in dorso valde sicca et contracta, fere lignea. Tussis perdurat, sed sine omni inflammationis signo. Cutis sicca, temperatura inaequalis, urina fusca et foetens.

Die 25. m. J. Vicesimus aegritudinis et dies index' Exaçerbatio ingens pulsus numerum fatalem 120 ictum longe excedit, nox inquieta, deliria perpetua, sensatio et receptivitas aegroti fere omnino amissa, lingua semel protracta propter memoriam extinctam haud retrahebatur, carphologia, manus auram captare student, inquies maxima. Profluvia foetidissima, tenuia, flava, temperatura inaequalis, extremitates frigidae, dum corpus calet et urit, pulsus debilis, facilis compressu, urina sicuti in morbis hepaticis atra et foctorem spargens intolerabilem, ammoniacalem.

Prognosis pessima.

Therap. Porrigitur infusum chinae cum naphta vitrioli et clysmata ex amylo cum castoreo adhibentur.

Die 26 m. J. Die aegrotudinis vicesimo primo, in exacerbatione pulsus habet ictus 140. et propter subsultum tendinum fere observari nequit. Superfusio tantum frigida aegroti conscientiam revocat, deliria continua furibunda fortasse propter remedia excitantia antea data; carphologia et subsultus tendinum. Inter respirationem jam stertorosam alae tantum narium moventur (signum paralyseos et fere lethale). Urina nauseosi foetoris; pulsus in remissione centies et vicies intra minutum horae micans; facies collapsa, plumbeo colore tincta. Quae omnia symptomata mortem exacerbationis tempore indicare videbantur, sed longe alius fuit eventus, quam exspectamus.

Die 26 m. J. Aegrotus adhuc vivit. Pulsus in exacerbatione fecit 118 ictas. Cutis sudoribus obtecta est humidis, criticis per totam superficiem. Urinae sedimentum in fundo vasis apparet mucosum, album. Noctu aegrotus somnum cepit, perbrevem quidem, sed vere criticum, altum, sine deliriis et inquiete illa fatali. Vultus clarior, minus deaompositus; interrogatus respondit aegrotus omnium fere sensuum compos. Fuit itaque nox et dies criticus atque decrementum omnium symptomatum salutis aegroti spem reddit, attamen cavendum est, ne viribus exhaustis mors celeriter et inopinata irruat.

Die 27 m. J Perdurant criseos signa, pulsus in remissione 104, in exacerbatione 110 ictus offert.

Therapia. Clysmata nutrientia.

Die 28 m. J. Pulsus tempore matutino nonagies et bis micat. Cutis humida, sputa globosa, sedimentum mucosum urinae.

Therap. Chinae infusum, clysmata e china cum lacte.

Die 29 m. J. Omnia symptomata nervosa recesserunt. Aegrotus interrogatus et clare et celeriter respondet. Lingua muco adhud obtecta, sed in basi atque apice hu-

mida. Abdomen molle, quamquam in regione ileo coeca adhuc sonus ille murmurans, sedes aquosae rarissime et cum conscientia secedunt. Cutis humida, temperatura aequalis: urina non parca in fundo hypostatica, clara autem in superiori vasis parte apparet atque faetorem amisit illnm nauseosum et dulcem, pulsus mediocriter fortis.

Therap. Crisis cum optime procedat, neque auxilium a nobis petat; nihil aliud faciendum est, quam ut vires china et jusculis carneis cum ovo uno paratis roborantur, affectio autem intestinorum perdurans clysmate ex amylocum opio et plumbo acetico sanatur. Decubitas, qui intravit vere criticus, obtegitur tantum fomento ex aqua vegeto-minerali.

Die 30 m. J. Aegrotus dormivit nocte. Clysmata aperitiva, quae propter obstructionem alvi adhibebantur, faeces ciebant compactas et bilis pigmento tinctas. Abdomen pressum sonum adhuc reddit peculiarem, sed nullnm doloris signum praebet. Tussis frequens quidem, sed facilis, massas profert conglobatas. In abdominis cute abunde humida exanthema miliare sudorem fere profusum indicat, qui coerceri debet.

Pulsus magnus et plenus in remissione ictus 92, in exacerbatione 105 exhibet Urina hypostatica. Therapia eadem, quae antea, sed stratum linteum levius, ne sudores excedant et in aliis quoque corporis partibus miliaria, uti in abdomine, puerumpat.

Primo die mensis Julii.

Exacerbatio fere nulla. Languor et virium defectus, tamen cibornm appetitus magnus. Lingua humida atque pura. Tussis fere nulla, in urina sedimentum adhuc levius animadvertitur, alvi obstructio. Surditas, quae signum fere semper benignum est instantis convalescentiae.

Die secundo mensis Julii. Somnus quietus. Cutis,

qnamquam mollis, non sudoribus illis longis obtecta, sed leniter perspirans; in urina nullum fere sedimentum super est. Crises finitae sunt, intrat stadium convalescentiae.

Therap. Nutrimenta lauta, sed pauca, vinum generosum porrigitur, obstructio alvi elysmate aperiente tollitur.

Ex iis, quae protuli et ex historia morbi adjecta haec atque alia sequuntur.

I. Morbi natura exanthematica est. Inter morbum exanthematicum intelligimus febrem, quae in una vel altera corporis parte materiam a salute alienam et nocentem deponit. Rem in typho abdominali ita sese habere, elucet ex nlceribus tunicae mucosae intestinnorum, ex decubitu, abscessibus, furunculis et preudocrysipelate gangraenoso, quae omnia criseos tempore in cute externa apparent. Neque minus familiaritas cum typho petechiali partim maculis et ecchymosibus, partim tota morbi indole et febris natura manifestatur.

II. Typhus abdominalis non est morbus systematis nervosi, quamquam cerebrum et nervi sympathici, sicuti in omni febre, praeserptim vero intestinorum abdominalium una cum affectione locali deprehendi solet, tamen typhus abdomlnalis exempla profert, in quibus affectio nervosa tam levis erat, ut aegrotus sensuum omnium et memoriae compos per totum morbi decursum leviori tantum capitis dolore laboraret. Inffammatio autem cerebri ejusdem in typho abdominali momenti est, ut in omnibus morbis exanthematicis, excitatione atque irritatione universali exorta, quae apud infantes et homines opportunos convulsiones et spasmos inducere, apud alios antem omnino deficere posset, id

quod a constitutione aegroti non minus, quam a genio epidemico vel endemico pendere solet.

III. Complicationes typhi abdominalis discerni debent a symptomatibus necessariis et morbo peculiaribus, quae tantum in febre et ulceribus cernuntur. Cemplicationibus adnumerare debemus omnem inflammationem pectoris primo jam in stadio, tempore autem seriori pectoris affectio propagationem morbi a tunica mucosa intestinorum ad mucosam pnlmonnm indicat, sicuti profluvia sub finem phthiseos pulmonalis contrariam ostendunt propagationem. Inflammatio cerebri jam supra memorata duplex esse potest, modo enim sub forma encephalitidis cum oculorum fulgore, capite calido et ardente, deliriis furibundis et pulsu frequenti accedit, modo hydropis offert imaginem cam sopore gravissimo, facie palida et collapsa, pulsu rtardato ad quadraginta ictus per horae minutum redacto quo in casu exsudatio hydropica fere nunquam in ventriculis et inter cerebri involucra deficere solet.

IV. Decurrit morbus per certa stadia et periodum tenet septem dierum; febris est remittens cum exacerbatione vespertina rarissime cum typo duplici, ita ut dua remissiones et exacerbationes eadem die intrent. Etiam typus intermittens non raro apparet, qnod partim a genio epidemico, partim a morbo praegresso pendere potest. Si enim febris intermittens antecessit, algorem vehementissimum et ultimum sequitur calor continens et decursus morbi solitus, ea differentia, ut exacerbatio vehementissima diebus inaequalibus intrare soleat, quod summi quoad crisin est momenti; si enim crisis diebus inaequalibus et cum exacerbatione coincidit, prognosis pejor quam in casu contrario habenda est.

V. Crises negari non possunt. Sunt autem, qui morbi naturam ita ignorent, ut hunc morbi exitum, qui ab omnibus accuratius observatis aegrotis nunquam abest, existere negent, vel qui medicamentis excitantibus ita naturam ad crisin tendentem a recta avertant via, ut turbata insaniam eorum sequi cogatur, vel propter negligentiam, vel credulitatem, qua unus ab altero falsam et levem accipit sapientiam; sicuti infantes vitrum coloratum e luto sine labore petunt et gemmis et auro pretiosius habent, dum verae scientiae scrutator in terrae viscera et tenebras descendit et opere et studio strenuo gemmas et thesauros in lucem profert. Apparent autem criseos signa: urina clara cum sedimento mucoso in inferiori vasis parte, sudores universales qui peculiarem, haud nauseosum, spargunt adorem; somnus altus cet., qnae omnia febris cum diminutione et morbi levamine conjuncta esse debent.

VI. Una vel altera complicatio et symptoma ita accrescere potest, ut totius adumbrat morbi imaginem, unde variae ac diversae morbi descriptiones et sententiae de natura ejus derivari possunt.

VII. Prognosis semper incerta et dubia, et quamquam Petrus Frank docet, unum jam signum malum indicare posse mortem, tamen nostra morbi historia ostendit, in malignitate omnium symptomatum aegrotum interdum convalescere, ita ut profiteri debeamus, unum signum malum quandoque mortem, omnia autem symptomata adversa vitam nonnunquam sequi.

VIII. Curatio fere symptomatica tantum; febris diminui non potest, sed modo ejus indoles vel inflammatoria vel torpida permutari. Ante omnia autem attendere debe-

mus animum ad affectiones cerebrales et thoracicas, ad sedes illas aquosas et cutis ariditatem. Sicuti supra memoravimus, typhus abdominalis natura ipsa melius saepe sanatur, quam medico imprudente, quare hac etiam in re typhus cum febribus exanthematicis consentire videtur.

VITA.

Natus sum ego Marcus Ring, Judaeus, anno hujus saeculi decimo septimo in pago Zauditz, prope Ratiboriam sito, matre optima Sarah, e gente Friedlaender, praematura mihi erepta morte, patre Victore, quem nuper defunctum lugeo. Primis litterarum rudimentis Ratiboriae instructus ad gymnasium Oppoliense me contuli. Testimonio maturitatis munitus anno h. s. XXXVI. almam litterarum sedem Vratislaviensem adii et ab illustr. Dr. Ritter, penes quem illo tempore fasces et summi academiae honores erunt, inter cives academicos receptus

apud ill. Dr. Henschel, t. t. decanum ordinis medici, nomen professus sum. Biennio Vratislaviae peracto, ad almam Fridericam Guilelmam Berolinensem profectus ab ill. Mueller, t. t. rectore magnifico, receptus celeb. Schulz, t. t. decano facultatis nostrae spectabili nomen dedi.

Per quatuor annos hasce frequentavi scholas;

Ill. Benedict, de Chirurgia generali et speciali, de fasciis rite applicandis et instrumentis chirurgicis disserentem audivi.

Ill. Braniss, logicem et psychologiam me docuit.

Ill. Nees ab Esenbeck botanicem et generalem et specialem.

Ill. Fischer. chemiam universalem et pharmaceuticam.

Ill. Glocker, mineralogiam.

Ill. Gravenhorst, Zoologiam.

Henschel, encyclopaediam medicam et semioticen.

Ill. Otto, Anatomen corporis humani et comparatum, idem dux mihi fuit in exercitationibus anatomice-practicis.

Ill. Purkirje, physiologiam et pathologiam corporis humani.

Ill. W. H. G. Remer, therapiam generalem et specialem.

Ill. Seidel, materiam medicam.

Clinica frequentavi medica ill. Osann, Rust, Dieffenbagh, Wolff, Wagner. Quibus omnibus viris maxime venerandis et optime de me meritis summas habeo semperque habebo gratias.

Jam examinibus philosophicis et medicis absolutis, spero fore ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I. Marannos neque auctores, neque propagatores morborum syphiliticorum.

II. Similia similibus non curantur.

III. Superstitio atque animi credulitas remedium praebent gravissimum et medico haudquaquam negligendum.

IV. Nulla corporis aegritudo sine animi pathemate.

V. In sanguine omnis vita est.

VI. Inter nervum sympathicum et nervos cerebrales et spinales nulla fere differentia.

VII. Monstra non exstant.